

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Ioannis Andrae Hoffmanni Ivris Vtrivsque Doctoris In  
Academia Ienensi Collectio Selectorvm Opvscvlvm De  
Vnionibvs Electorvm S.R.I.**

**Hofmann, Johann Andreas**

**Ienae, MDCCLII**

**VD18 12896357**

Capvt V. De Ivre Vicariatvs Comitiss Palatini Et Saxoniae Dvcis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18247**

Latinus cibum afferre tenebitur. Dux Saxoniae Mareschallatus officium exercebit, vt solitum est, fieri ab antiquo.

## CAPVT V.

DE IVRE VICARIATVS COMITIS  
PALATINI ET SAXONIAE DVCIS.

## §. I.

Quoties insuper, vt praemittitur, sacrum vacare continget Imperium, illustris Comes Palatinus Rheni, sacri Imperii Archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni & Sueviae & in Iure Franconico, ratione Principatus, seu Comitatus Palatini priuilegio, esse debet prouisor ipsius Imperii, cum potestate iudicia exercendi, ad beneficia Ecclesiastica praesentandi, recolligendi redditus, & prouentus, & inuestiendi de feudis, iuramenta fidelitatis, vice & nomine sacri Imperii recipiendi, quae tamen per Regem Romanorum, postea electum, suo tempore innouari, & de nouo sibi iuramenta praestari debent. Feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quae Vanlehen vulgariter appellantur, quorum inuestituram & collationem soli Imperatori, vel Regi Romanorum specialiter reseruamus. Ipse tamen Comes Palatinus omne genus alienationis seu obligationis rerum Imperialium huiusmodi prouisionis tempore, expresse sibi nouerit interdictum.

§. II. Et eodem (\*) iure prouisionis, illustrem Ducem Saxoniae, sacri Imperii Archimareschallum, frui volumus in illis locis, vbi Saxonica iura seruantur, sub omnibus modis & conditionibus, sicut superius est expressum.

§. III. Et quamuis Imperator siue Rex Romanorum super causis, pro quibus impeditus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni, sacri Imperii Archidapifero, Electore Principe, respondere: illud tamen iudicium Comes ipse Palati-

li 2

nus

(\*) vid. Capit. *Iosephi* art. 35.

nus non alibi praeterquam in Imperiali Curia, vbi Imperator seu Romanorum Rex praesens extiterit, poterit exercere.

*CAPVT VI.*

DE COMPARATIONE PRINCIPVM  
ELECTORVM AD ALIOS PRINCI-  
PES COMMVNES.

§. I.

**D**ecernimus, vt in celebratione Imperialis Curiae, quotiescunque illam deinceps perpetuo celebrari contigerit, antedicti Principes Electores Ecclesiastici & Seculares iuxta praescriptum ordinem atque modum, a dexteris & a sinistris immutabiliter teneant loca sua, eisque vel eorum alicui, in quibuscunque actibus, ad Curiam ipsam spectantibus, eundo, sedendo vel stando, nullus Princeps alius, cuiuscunque status, dignitatis (\*) praeminentiae, vel conditionis existat, vllatenus praeferatur. Eo signanter expresso, quod nominatim Rex Bohemiae in celebratione Curiarum huiusmodi, in omnibus & singulis actibus antedictis, quemcunque Regem alium, quacunque etiam singulari dignitatis praerogatiua fulgentem, quae quouis casu seu causa venire vel adesse forte contingeret, immutabiliter antecedit.

*CAPVT VII.*

DE SVCCESIONE PRINCIPVM.

§. I.

**I**nter sollicitudines illas innumeras, (\*\*) quibus pro felici statu sacri Imperii, cui auctore Domino feliciter praesidemus, cor nostrum quotidie fatigatur, ad hoc praecipue meditatio nostra dirigitur, qualiter desiderata & salubris semper vnio inter sacri Imperii Principes Electores iugiter vigeat, & corda eorum in sincerae charitatis concordia confer-

(\*) vid. capit. Iosephi art. V.

(\*\*) Hic inuenitur in quibusdam Codic. prooemium quoddam.